

omnes praelati regulares, qui Monasteriis, Conventibus, domibus et aliis quibuscumque locis ordinum regularium etiam militarium praeficiuntur. Notant Doctores hanc Constitutionem non esse undequaque usu receptam.

11. 4°. Ex alia Const. Pii IV. *In Sacrosancta* edita idibus Novembris ejusdem anni 1564 fidem solemniter profiteri tenentur sub poena privationis officii omnes Doctores Magistri et cujuscumque artis vel facultatis professores tum laici tum clerici, qui in publicis Universitatibus vel Gymnasiis aut alibi lectiones habent, simulque illi qui ad gradus academicos promoventur, eandem debent professionem emittere.

12. 5°. Ex decreto conc. Romani superius cit°. in Provincia ecclesiastica romana professionem fidei emittere debent 1°. novus Vicarius generalis, Vicarii foranei, Procuratores et Promotores Fisci episcopalis, Cancellarii, et alii ministri Curiae ejusdem. 2°. Novi concionatores etiam Regulares; 3°. novi confessarii; 4°. docentes publice vel privatim Theologiam, Philosophiam, Jus Canonicum aut Civile, vel inferiores quaslibet disciplinas etiam Grammaticam; 5°. Medicinam et Chirurgiam exercentes. Contra contumaces constituuntur poenae in Bulla Pii IV. *In Sacrosancta* inflictæ.

13. Si quaeratur quænam sit formula professionis fidei, eam dicimus esse, quæ ab ipso Pio IV. in Cit^{is}. Const.^b. *In Sacrosancta* et *Injunctum* describitur. Hodie vero post Concilium Vaticanum in formula ante conclusionem, additio fieri debet, qua profitens dicat, se credere ea quæ in Vaticano Concilio definita sunt, et praesertim ea quæ respiciunt primatum Romani Pontificis, et ejusdem infallibile magisterium.

14. Quæstio inter Doctores instituitur utrum hæc fidei professio per procuratorem fieri possit. Veteres iique gravissimi auctores affirmativam sententiam propugnant. Navar. Sanchez, Barbosa Jus eccles. univ. l. 1. c. 11. n. 56. Reiffenst. Com. in h. t. §. 8. n. 182. Utebantur autem hoc principio 'potest regulariter quis facere per alium, quod potest facere per seipsum, nisi lege vel canone prohibeatur, et nisi fuerit electa industria personæ'. Quod principium fulciebant *c. ult. de off. Deleg.* §. 'Is autem' juncta Reg. 68. Juris in 6°. 'potest quis per alium, quod potest facere per seipsum'. Atqui tum Conc. Trid. tum Pius IV. non prohibent

professionem fidei fieri per procuratorem; nec professio fidei talis est actus, in quo censetur electa industria personæ. Ergo.

Verum, hisce non obstantibus, cum auctoribus adversæ Sententiæ standum est. Nam allatum principium ab auctoribus primæ Sententiæ, quod valet præcipue in re judiciali, casui nostro applicari nequit, in quo ideo a Conc. Tridentino et a Pio IV. obligatio fidei professionis emittendæ inducta fuit, ut illis temporibus, in quibus hæresis grassabatur, Ecclesia dignosceret fideles et clericos fide sincera imbutos, eosque distingueret a falsis fidelibus ac suspectis Ministris, qui vel omnes vel aliquos fidei articulos respuerent. Quisque ergo per seipsum ex mente Tridentini debet fidei professionem edere. Sed quæstio penitus absoluta est per sacram C. Concilii, quæ pluries hac super re interrogata, constanter respondit satis non fieri obligationi emittendi fidei professionem, si hæc professio per procuratorem pronuncietur. Ita praesertim in causa Catacensi prop. diebus 25. Jan. et 9. Feb. 1726. Cui præiverat alia decisio ejusdem s. C. in Valentina an. 1610. quæ legitur in l. XI. Decretor. p. 91. Quæ res videri etiam potest in causa Toletana 17. Apr. 1728.

15. Quod si quis intra bimestre non possit accedere ad residentiam, et habeat indultum absentiae, Sacram adeat Congregationem Concilii, quæ licentiam dare solet, ut si orator Romæ commoretur, fidei professionem emittat coram Eminent. Urbis Vicario, si extra Urbem regulariter coram Ordinario loci, cum onere tamen iterum fidem profitendi juxta præceptum et normam Tridentini, cum ad Beneficii residentiam pervenerit. Ita resolvit S. C. Conc. in causa Regiensi 1622. et in causa Bergomensi diei 22. Novembris an. 1630.

16. Tandem adnotandum est, S. Congregationem indulsisse, ut is, qui bona fide per procuratorem fidem fuerat professus, fructus Beneficii consequeretur, emissa tamen nova professione et facta aliqua eleemosina arbitrio Episcopi. Conferri potest causa Toletana diei 17. Apr. 1728.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

1. Quamvis scopus primi Libri Decretalium præcipue sit ut de personis seu de hierarchia ecclesiastica et de modo quo ea

constituitur pertractetur; tamen quoniam de ecclesiastico jure in toto volumine agitur, ad ejus vim et intellectum melius dignoscendum, optimum factu duxit B. Raimundus titulos tres præmittere, qui generalia juris tum universalis, tum particularis, tum scripti, tum non scripti principia exhiberent. Agit ergo B. Raimundus in primis tribus titulis de fontibus juris et primum titulum inscribit '*De Constitutionibus*'.

2. Constitutio in sensu tituli exprimit jus scriptum generale, quod proprie dici potest lex. Lex autem definitur a S. Thoma 1^a. 2^æ. quæst. 90. art. 4. 'Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui communitatis curam habet promulgata cum voluntate perpetuo obligandi'.

3. Legis conditiones sunt 1^o. ut fiat a legitimo superiore. Superior enim est qui media opportuna eligit, ut subditos suos ad finem societatis assequendum dirigat; nec aliquid valet lex, quæ feratur ab eo, qui respectu Communitatis jurisdictione non gaudet. Extra enim territorium jus dicenti impune non paretur; ut traditur in *c. ult. de Constitut. in 6^o*. — 2^o. Lex debet esse rationalis, honesta scilicet et possibilis. *Honesta*; est enim medium ad verum et ordinatum bonum consequendum. *Possibilis*; secus enim deficeret esse medium practicum. Possibilitas vero legis non est possibilitas absoluta, quæ nempe viribus humanis in abstracto consideratis lex esset proportionata: sed est possibilitas concreta; quæ nempe hominibus prout de facto sunt, aptari potest. Rursus: quidam homines possunt sibi proponere ut sequantur quod optimum est. Et hoc sub sensu optimum est etiam possibile. Quare sub voto cadere potest promissio status perfectionis assequendæ. At possibilitas legis respicit non quædam individua, sed universam Communitatem, quæ optimum sequi non valet. Quare possibilitas legis opponitur nimie rigiditati, et lex est possibilis quæ nimis ardua non est et societati potest applicari. Ex quo caractere sequitur 3^a. conditio legis; ut sit nempe ad bonum commune, et non ad bonum aliquorum tantum privatorum directa. Lex enim est regula communitatis. — 4^o. Debet esse sufficienter promulgata, ut a populo cognosci possit. Distinguitur autem promulgatio a notitia; illa enim respicit societatem, hæc individua. Hinc censetur lex sufficienter promulgata, licet plura individua legem ignorent. — 5^o. Imponi debet lex cum animo perpetuo obligandi, idest

de natura legis est, ut quantum in se est, semper perseveret et obliget donec legitime abrogetur.

4. Ex quibus characteribus legis et præsertim a postremo descendit diversitas legis a præcepto. Præceptum enim expirat morte præcipientis: lex vero mortuo etiam legislatore, qui eam condidit, perseverat. Præceptum ad personas determinatas dirigitur, quibus extinctis, extinguitur præceptum; lex autem datur societati, quæ cum perseveret, licet eadem individua non maneant, etiam lex censetur perseverare; quo sensu lex est perpetua. Ex quo alia etiam differentia exurgit; quod nempe leges territorium respiciunt, extra quod personæ non obligantur; præceptum vero obligat personas etiamsi a territorio egrediantur. Juristæ ut hanc qualitatem melius exprimerent, soliti fuerunt dicere 'præceptum adhæret ossibus personæ'. Hinc leges dicuntur esse territoriales; præcepta vero personalia. Hæc de legis notione.

5. Prima quæstio quæ occurrit est de potestate legislativa in Ecclesia. Et primo quidem quod prælati in Ecclesia pro recto ejusdem Ecclesiæ regimine, atque pro salute fidelium consequenda leges condere possint quibus fideles adstringantur, patet invicte ex eo quod Christus Dominus Ecclesiam suam voluerit esse societatem completam et in genere suo perfectam. Hinc quoad Petrum et ejus successores ait Matth. 16. 'Tibi dabo claves regni cælorum, quodcumque ligaveris etc.' Et quoad Apostolos et Episcopos Matth. 18. 'Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo'. In utroque testimonio animadvertendum est non legi 'quoscumque ligaveris vel ligaveritis', sed 'quæcumque ligaveris vel ligaveritis': ea scilicet formula utitur Christus Dominus qua indicat objectum potestatis esse generale, juxta indolem objecti potestatis legislativæ, non autem coarctatum ad aliquas personas juxta indolem objecti potestatis qua præcepta imponuntur. Quare de potestate legislativa testimonia allata explicari merito possunt. Confirmatur autem hæc interpretatio ex verbo '*ligare*', quo utitur Christus Dominus. Nam, aliis omissis, sufficiat afferre locum parallelum Matth. 23. ubi verbum '*ligare*' ad exprimendam potestatem legislativam a Christo usurpatur. Sane de Pharisæis loquens Christus, ait: 'alligant enim onera gravia et importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere'. Hanc potestatem exercuerunt in Concilio Hierosolymitano Apostoli: Act. XV. Eam pariter exercuit Paulus, qui plures leges, quas præcepta appellat, jussit, qui Corin-

thios alloquens, scribit 'laudo vos, quod præcepta mea tenetis'. Hanc tandem potestatem adhibuisse semper Ecclesiam tota traditio docet. —

6. Ex allatis autem testibus patet hanc potestatem leges ferendi a Deo ipso, et non a civili auctoritate aut ab hominibus procedere. Quod exprimitur aperte in *Extrav. Comm. Unam Sanctam* circ. finem *De Majorit. et obed.* 'est autem hæc auctoritas (etsi data sit homini et exerceatur per hominem) non humana sed potius divina, ore divino Petro data suisque successoribus in ipso: dicente Domino ipsi Petro: quodcumque ligaveris etc.' Merito igitur Pius IX. in Syllabo an. 1864. condemnavit sub n. 19. propositionem sequentem: 'Ecclesia non est vera perfecta que societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus, sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quænam sint Ecclesiæ jura et limites, intra quos eadem jura exercere queat'. Ex hoc clarum fit, quomodo jure meritoque leges ecclesiasticæ secernantur a legibus civilibus; quia nempe a diversa potestate dimanant.

7. Hæc vero potestas ferendi leges duplex est in Ecclesia, suprema nempe et dependens. Suprema exercetur ordinarie a Romano Pontifice, qui in materia spirituali et pro bono animarum Constitutiones edit pro universa Ecclesia, omnesque obligant fideles. Illi enim in persona Petri a Christo Domino dictum est 'pascite oves meas', Joan. XXI. — Potestas suprema legum ferendarum exercetur extraordinarie a Concilio Generali sub Romano Pontifice. *Extraordinariè*: nam non nisi gravissimis de causis convocatur, gubernatio autem suprema Ecclesiæ ordinarie a Romano Pontifice exercetur. *Sub Romano Pont.*: nam nisi accedat Summi Pontificis auctoritas, leges quæ in concilio generali feruntur universam non obligant Ecclesiam. Nec officit phrasid illa 'S. Synodus præcipit, mandat etc.' Patres enim in Congregatione generali collecti præcipiunt aut prohibent quantum in ipsis est, et sub conditione quatenus a Pontifice confirmentur ea quæ a Synodo statuuntur. Hæc omnia optime inferuntur ex conceptu juridico Concilii Generalis et ex praxi constanti Ecclesiæ.

Ex hisce patet leges *universales* pro tota Ecclesia fieri ordinarie a Romano Pontifice, extraordinarie a Concilio Generali sub Romano Pontifice. —

8. Leges autem *particulares* pro aliqua societate particulari, idest pro determinatis et distinctis gregis Christiani portionibus feruntur a Conciliis Nationalibus vel Provincialibus vel Diocesanis pro tota Natione vel Provincia vel Diocesi; quæ tamen leges ex cit. principio cap. ult. h. t. in 6º. non obligant extra territorium. Qua in re adnotandum est, neque Primatum pro tota natione, nec Archiepiscopum pro tota provincia posse leges condere extra Synodum nationalem vel provincialem et absque consensu suffraganeorum Episcoporum. Can. '*Nullus primas*', 7. caus. 9. quæst. 3. cui consonat cap. 25. *de accusat.* Episcopus vero pro sua Diocesi potest ferre leges tum in Synodo Diocesana tum extra Synodum: in ea enim habet suam propriam et ordinariam jurisdictionem. De hisce autem legibus particularibus dicendum est, eas ferri non posse in præjudicium juris communis et contra constitutiones Apostolicas; prout definitum legimus in c. 16. *de Major. et Obed.* et in *Clemen. Ne Romani* §. 1. *de Elect.*

9. Sede autem vacante, cum Capitulum, et hodierno jure ex Conc. Trid. dispositione Vicarius Capitularis succedat in ordinaria administratione Diocesis c. 14. *de Major. et Obed.*, cap. un. eodem in 6º., et c. 3. *de supplend. neglig. Prælat.* in 6º. sequitur, etiam capitulum et modo ejus Vicarium posse leges ferre pro tota Diocesi, quæ morum reformationem et Diocesis administrationem respiciunt. Quæ leges vigeant donec ab ipso Vicario Capitulari, vel inde ab Episcopo non removeantur.

10. In ordinibus etiam religiosis leges pro universa religiosa familia a superioribus feruntur; quia vera jurisdictione in subditos gaudent. Leges autem hujusmodi ferri debent juxta cujuslibet ordinis statuta, privilegia et laudabiles receptasque consuetudines.

11. Tandem ex c. ul. '*de off. Legati*' Apostolicæ sedis Legati in provincia suæ legationis poterunt leges ferre, quæ etiam post eorum egressum vigeant.

12. Quæstio secunda est de materia legis. Legis virtus est, ait Jurisconsultus in L. 7. ff. *de legib. imperare, vetare, permittere et punire*. Quare leges sunt vel præcipientes, vel interdcentes seu prohibentes vel permissivæ vel pœnales. Objectum legum præceptivarum præter actus justitiæ, possunt esse actus aliarum virtutum, ut sunt actus temperantiæ religionis etc. dummodo nimis ardui non sint ceu essent actus consiliorum evangelicorum, qui non præcipiuntur nisi illis, qui voto sese obstrinxerunt. Materia seu

objectum legum prohibitarum sunt ea omnia quæ justitiæ aliisque virtutibus opponuntur, licet jam a lege naturali vel divino-positiva prohibeantur. Possunt etiam prohiberi actus qui de se et generatim sunt indifferentes, quia ex peculiaribus circumstantiis in societatis perniciem verti possunt, ex. gr. arma ferre, inducere in civitatem fructus etc. Legis permissivæ objectum sunt actus indifferentes. Aliquando autem ad evitanda majora mala etiam injusta et minus bona tolerantur. Et tunc lex potius dicitur *tolerans* seu *non puniens*. Talis dicitur esse lex in c. 23. Deut. de fœnore exercendo cum extraneis permisso. Objectum legis pœnalis sunt actiones quæ publico ordini adversantur, quæque prohibentur sub determinata pœna, non autem sub culpa.

13. Quæstio tertia. An actus interni legis Ecclesiæ objectum esse possint. — In c. 9. de Celebr. Missar. Innocentius III. præcipit ut 'officium nocturnum pariter et diurnum quantum Deus dederit, studiose celebretur pariter et devote'. Cum devotio et mentis elevatio sint actus interni, videretur Ecclesia præcepisse actus internos. Quod confirmatur ex Clem. 1. §. verum de hæretic. in qua excommunicantur illi qui ex 'odio, gratia et avaritia', quæ sunt malæ animi dispositiones, non inquirunt in hæreticos. Attamen Innoc. III. in c. 34. de Simonia ait 'Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare', simulque docet pœnas Simonia mere mentalis judicio Dei reservari qui est scrutator cordium. Cui adhæret Conc. Trid. in sess. 24. de ref. c. 1. ubi ait 'Ecclesia de occultis non judicat'. Porro potestas legislativa et potestas judicialis æquo gradu procedunt, et per consequens si Ecclesia de internis non judicat, de iisdem neque leges ferre potest.

14. Ut hæc juris principia inter se componantur, distinguendum est inter actus mere internos, et eos qui licet ab animo eliciantur, tamen actum externum concomitantur, ac externi actus sunt forma. Actus mere interni sunt qui in solo animo consistunt, et habent proprium esse et existentiam in mentis cogitatione vel cordis affectu. Hi actus cadere nequeunt sub lege Ecclesiæ. De istis actibus verificatur id quod post jus civile in L. 18. de pœnis statuit can. 14. De Pœn. dist. 1. in decreto 'cogitationis pœnam nemo patiat'. De hisce actibus etiam accipiendi sunt textus in c. 34. de Simon. et in sess. 24. de Ref. c. 1. jam citati. Ratio autem desumitur ex conceptu juridico potestatis legislativæ in

Ecclesia; quæ ideo leges condidit quia regimen habet societatis fidelium, qui corpus morale visibile constituunt, idest visibilem et publicam societatem; qui proinde fideles gubernandi sunt legibus proportionatis ad scopum societatis, ut in societate omnia ordinate procedant. Leges autem sunt normæ publicæ et communes, quæ gubernant publicam actionem christiani populi. Ergo actus qui sub legibus Ecclesiæ cadunt, sunt ii qui constituunt externam fidelium activitatem, non autem actus mere interiores. Conclusio hæc confirmatur ex absurdo. Sane cum Ecclesia internas animi cogitationes et affectus scrutari nequeat, neque ullum ferre potest iudicium, quo cognoscat utrum fideles suis legibus obtemperaverint vel non. Jamvero absonum est in jure, ut iudicium ferre nequeat in materia legis; potestas enim judicialis est ejusdem ordinis ac est potestas legislativa, siquidem iudex applicat legem. Quare si Ecclesia de internis actibus iudicium ferre non potest, neque leges ferre potest circa eosdem.

15. Habeat utique Ecclesia forum pœnitentiale, in quo iudicat de internis animi cogitationibus. At hæc iudicia respiciunt directe et proprie individua, et non christianam societatem. In hoc enim foro minister Ecclesiæ repræsentat ipsum Deum, qui in eo casu curam suscipit non de universo cœtu Christianorum, sed de bono individuali particularis fidelis. In hoc foro agitur iudicium potius coram Deo quam coram Ecclesia. Igitur hoc tribunal non est proprie dictum tribunal et forum Ecclesiæ, sed tribunal et forum conscientia coram Deo. Quare nil mirum si in eodem tribunali iudicium feratur etiam de occultis. Tribunal autem proprium Ecclesiæ, cui respondet potestas legislativa Ecclesiæ ipsius illud est quod publicum est et respicit regimen totius societatis; illud nempe tribunal, quod dicit relationem hominis ad hominem, et membrorum visibilium ad caput visibile societatis. Quare potestas legum ferendarum, quæ huic tribunali respondet, non habet objectum internum et invisibile, sed objectum externum et visibile. — Ex quo explicatur quomodo Ecclesia contra devios et contumaces non applicet pœnas mere spirituales et invisibiles, sed infligat censuras, quæ secumferunt privationem omnium vel aliquorum jurium, quæ homini fideli competunt in publica societate christiana. Concludendum igitur est, Ecclesiam non posse directe et immediate præcipere vel vetare actus mere internos; quemadmodum etiam confirmatur ex facto

Ecclesiæ ipsius, quæ nunquam leges tulit directe in ordine ad hujusmodi actus.

16. Verum ex alia parte Ecclesiæ leges diriguntur ad finem supernaturalem et ad bonum internum animarum, idest Ecclesia præcipit externos actus immediate et directe, sed quatenus ab animo procedunt et informantur. Leges enim Ecclesiæ non respiciunt solummodo actum hominis externum physicum et materialem; sed respiciunt actum moralem entis ratione præditi, idest respiciunt actum externum, informatum vero ab intentione et operatione animi. Hinc ex. gr. si Ecclesia præcipiat aliquem contractum, cum verba nihil valeant, nisi internus consensus verbis conjugatur, internus animi assensus sub lege cadit. Et hoc in sensu damnata est propositio 'quod quis præcepto paschali satisfacit etiam sacrilega Communione'. Ex quibus omnibus patet Ecclesiam complecti non posse legibus suis directe actus mere internos, posse autem præcipere actus internos *indirecte*, et quatenus sunt *forma* actuum externorum.

17. Qua in significatione accipiendi sunt textus initio allati, nempe c. 9. de celeb. Missar. et Clem. 1. de hæret. scilicet dum præcipit Ecclesia oralem orationem, vult ut oratio hæc rite persolvatur, idest ut sit oratio mentis expressa per verba. Pariter Ecclesia punit excommunicatione odium, intentionem turpis lucri etc. in quantum actus internus animi exeat in actum externum et pariat malos effectus in societate.

18. Quæstio quarta proponitur occasione capp. 2. et ult. h. t. utrum legis objectum esse possint actus præteriti. Caput 2. h. t. ita se habet 'lex solet futuris formam imponere ut dispendiis præterita non commendat'. Huic capiti videtur opponi cap. ult. h. t. quod saltem exceptive statuit 'cum leges et constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi, nisi nominatim in eis de præteritis caveatur'. Gregorius hanc decretalem edidit ut quæstionem solveret quæ proponebatur circa modum intelligendi aliam decretalem suam quæ refertur in tit. de Major. et Obed. c. 15.

19. Ex conclusione Gregorii oritur oppositio cum generali principio. Utrumque vero tenendum est; scilicet leges generatim facta præterita non respicere, et revera dari exceptionem a Gregorio insinuatam. Namque lex proprie dicta quæ est præcipiens vel prohibens datur ad modum regulæ, qua actus informantur. In

conceptu ergo legis est ut ipsa sit anterior actibus, et non vice-versa. Sane lex præcipiens supponit esse possibile objectum circa quod fertur; atqui præteritum qua tale, est impossibile; nam neque infectum fieri potest, neque alio modo fieri potest quam factum sit. Lex vero puniens supponit malam voluntatem et contumaciam contra legislatoris voluntatem. Jamvero nullius culpæ sunt rei homines, qui futuræ inscii constitutionis, pristinam et innocuam sequuntur agendi rationem. Hinc merito ait Pontifex in c. 2. h. t. constitutiones futuris tantum negotiis formam dare, quia res quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, nec ignorantes possunt damnum incurrere.

20. Duplex vero datur casus in quo Principis constitutio actus præteritos respicit. Primus est cum lex quæ proponitur non sit lex nova, sed veteris explicatio, quæ lex dicitur *declaratoria*. Cum declarare nihil aliud sit, nisi in casu obscuritatis vel ambiguitatis pandere et aperire quinam fuerit sensus quem Princeps in mente habuit in lege edenda, sequitur legem declaratoriam non habere novam et distinctam speciem ab antiqua lege; sed, ut adnotat Cajus in L. adeo §. cum quis ff. de acquir. rer. dom. declaratio fit in eundem modum quo e visceribus spicæ grana eruuntur. Ex quibus patet leges explicativas referri ad tempus editæ legis prioris cujus explicatio sunt, ac omnia negotia, quæ contingunt a tempore editæ prioris legis ad tempus quo declaratio emittitur, legi declarativæ subjici, ac juxta eam esse dijudicanda. Exemplum exhibetur in c. fin. de filiis presbyterorum. Legis declarantis naturam induunt omnes interpretationes authenticæ. Hinc ab auctoribus referuntur exempla decisionum S. Congr. Concilii quæ interpretantes Tridentinas leges præteritis negotiis formam dedere.

21. Alter casus qui excipitur est casus novæ legis proprie dictæ, quæ materiam inhabilitatis attingit. Cum enim inhabilitas non sit proprie dicta pœna, quæ datur propter culpam, sed exhibeat impedimentum quo quis a juribus acquirendis arceatur, vel quod juris exercitium legitime interdicit et abroget, non implicat quominus possit respicere actus præteritos, qui a lege in suis effectibus inhabilitate percelluntur. Porro dupliciter ad præterita hæc lex referri potest: 1^o. nempe destruendo effectus legis pœnalis, declarando validos actus qui nulli fuissent ex vi legis pœnalis. Quemadmodum fecit Clemens V. absolvens excommunicatos a